UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

27. De successionibus ab intestato

urn:nbn:de:hbz:466:1-63433

Visual Library

TITULUS XXVII.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

Q. 1. *Quid ſit ſucceſſio ab inteſtato? Reſp.* 1. Eſt hæreditatis âcquiſitio extra caſum ultimæ voluntatis defuncti, dum ſcil. defunctus deceſſit inteſtatus, quod fit, quando vel nullum condidit teſtamentum, vel non jure fecit, aut id, quod fecit, nullas habet vires, quia ruptum irritumve factum eſt &c. 2. Alia eſt ſucceſſio *in capita*, alia *in ſtirpem* vel *ſtirpes*: *in capita* fit, dum proprio jure acquiritur hæreditas, eâque in portiones viriles, ſive tot partes, quót ſunt perſonæ & capita, æqualiter dividitur. *In ſtirpes*, dum unus vel plures nullâ habitâ multitudinis perſonarum ratione, loco & ex jure alterius, quem repræſentant, v. g. liberi parentem ſuccedunt, ita ut, ſive multi ſive pauci ſint, eam omnes ſimul accipiant portionem hæreditariam, quam accepturus eſſet ille, quem repræſentant. 3. Inter quos datur ſucceſſio legitima, ſunt in duplici claſſe, prout ex duplici cauſa ſucceſſio hæc defertur, nimirum vel *jure cognationis*, juxta quod 3. ſunt ordines ſuccedentium, ſcil. *deſcendentium*, qui excludunt omnes alios, *aſcendentium*, & *collateralium*: vel ex *civili aliqua ratione*, dum deficientibus tribus dictis ordinibus, patrimonium defuncti defertur conjugi ſuperſtiti jure Prætorio. 4. Modus computandi gradus in ordine ad ſucceſſiones hæreditatis inter *conſanguineos linea recta*

& *linea transverſæ* unus idémque eſt, ſcil. *tot ſunt gradus, quot ſunt generationes & perſona unâ demptâ*, adeóque computatio gradum lineæ collateralis pro ſucceſſionibus differt à modo computandi gradus lineæ collateralis in ordine ad matrimonium. 5, Nobis hic potiſſimùm ſermo eſt de ſucceſſione in bonis allodialibus, & de jure communi.

Q. 2. Qui & quo ordine ſuccedant ab inteſtato deſcendentes? Reſp. 1. Succedunt defuncti liberi primi gradûs, naturales & legitimi ſimul, ſine differentiâ ſexûs vel ſtatûs, etiam Clerici & Religioſi, ſi parentes moriantur ante Religioſum profeſſum. *L. 56. §. 2. C. de Ep. & Cler.* & ſi facta profeſſione atque ex regula non ſit incapax. Succedunt liberi ſive conſtituti tempore mortis patris ſub poteſtate patria, ſive emancipati; ſine differentiâ nativitatis, ſive jam nati, ſive ex eodem matrimonio poſt mortem patris naſcituri; ita ut excludant aſcendentes, collaterales, deſcendentes ſive nepotes, caſu quo horum pater vivit. *Nov.* 118. *c.* 1. præmortuo patre ſuo nepotes, ſaltem ſi cum ſuperſtitibus patruis ſuis ſuccedant, ſuccedunt in ſtirpes.

Reſp. 2. Extenditur ſucceſſio hæc ad legitimatos per ſubſequens matrimonium *c. 6. qui fil. ſint legit.* 2. Ad legitimatos per oblationem Curiæ, ut & hi æqualiter patri ſuccedant cum legitimis. *Nov. 29. c.* 3. modus tamen hic legitimandi abiit in deſuetudinem. 3. Ad legitimatos per reſcriptum Principis, ad quod tamen tria requiruntur

ex

ex *Nov. 74. c. 1.* & *Nov. 89.* 4. Ad legitimos tantùm ſive adoptivos, etiam præſentibus naturalibus & legitimis ſimul, in allodialibus *ſil. L. 5. C. de legit. hæred.* §. 2. *Inſt. L. 10. C. de adopt.* 5. Ad liberos pariatos per unionem prolium, hi enim æqualiter ſuccedunt parentibus unionem facientibus.

Q. 3. *Quinam deſcendentes non ſuccedant ab inteſtato? Reſp.* Præter privignos, de quibus certum eſt ex *L. 3. & 7. C. comm. de ſucceſſ.* quòd non ſuccedant vitrico vel novercæ, excluduntur 1. liberi naturales & legitimi ſimul, ſi vel renuntiaverint juratò ſucceſſioni paternæ. *c. quamvis, 2. de pact. in 6.* vel ſi alicubi conſuetudo ſit, ut filiæ Nobilium in bonis *paternis* non ſuccedant, ſed dote tantùm ſint contentæ. 2. A ſucceſſione omni aſcendentium liberi parentum reorum criminis perduellionis. *L. 5. C. ad Leg. Jul. Majeſt.* vide etiam *L. 1. C. de hæred. inſt. L. 4. & 19. C. de hæret.* 3. A ſucceſſione patris liberi *naturales tantùm*, id eſt, nati ex fœminâ ſolutâ inſtar concubinæ domi habita, ſi naturales & legitimi ſimul, vel ſaltem legitima conjux adſit. *Nov. 89. c. 12.* deficientibus verò liberis & conjuge legitima, ſuccedunt cum matre ſua in ſextante, in reliquis 10. unciis defuncti patris conſanguinei. *Nov. cit.* 4. Spurii juxta jus Civ. ſumpti pro vulgo quæſitis & ex meretrice natis ab hæreditate patris penitus repelluntur, matri cum aliis legitimis ſuccedunt. *L. 8. ff. unde cognati.* Accepti juxta Jus Can. ſpurii nec patri nec matri ſuccedunt, licèt nul-

li

li extent liberi legitimi. *Auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.* Imo Leges alimenta iis negabant, quarum rigorem temperavit Jus Canon. *c. 5. de eo, qui dux. in matr. quam poll.*

Q. 4. Qualiter ab inteſtato aſcendentes ſuccedant deſcendentibus? Reſp. Deficientibus omnibus deſcendentibus ſuccedunt ab inteſtato in bonis allodialibus aſcendentes legitimi utriusque ſexûs, avus v. g. & avia, æquis portionibus, etiamſi vel omnia vel plura bona provenerint ab uno parentum, v. g. à linea paterna *Nov. 118. c. 2.* ita tamen, ut proximior excludat ſemper remotiorem, v. g. mater avum; item etiam, ut ab aſcendentibus excludantur collaterales omnes, exceptis fratribus germanis & ſororibus defuncti, qui in capita admittuntur cum aſcendentibus proximis. *Nov. cit.* Si tamen ſoli fratrum germanorum liberi præmortuis ſuis parentibus extent cum aſcendentibus, de jure liberi hi neque in capita, neque in ſtirpes ſuccedunt ob *eand. Nov.* quæ correcta non eſt per *Nov. 127. c. 1.* cùm hæc tantùm loquatur de caſu, quo cum liberis germani defuncti ſupereſt alius germanus defuncti & reſpectu illorum patruus.

Q. 5. Quomodo ſuccedant ab inteſtato collaterales? Reſp. Si deficiant tam aſcendentes quàm deſcendentes, ſuccedunt conſanguinei collaterales propinquiores; ſcil. 1. Fratres germani & ſorores excluſis conſanguineis & uterinis tam fratribus, quàm ſororibus; ſi tamen ex altero prædefuncto germano fratre vel ſorore liberi adſint, hi

in

in ſtirpes cum germanis defuncti ſuccedunt. 2. Si fratrum liberi *ſoli* adſint, ſuccedunt patruo in capita. *L. 2. §. 2. ff. de ſuis & legit. hæred.* excludúntque fratres unilaterales. 3. His & fratribus germanis deficientibus ſuccedunt fratres conſanguinei, vel uterini, vel, ſi adſint, utrique, & probabiliùs absque diſtinctione inter bona, utrum ea paterna, an materna ſint. 4. Deficientibus etiam his eorúmque liberis, ſuccedunt absque diſcrimine reliqui propinquiores conſanguinei, etiam probabiliùs in infinitum. vid. *Nov.* 118. c. 3. *Auth. ceſſante cum ſeqq. C. de legit. hæred.*

Q. 6. Quomodo ab inteſtato ſuccedant ſibi conjuges &c. Reſp. 1. Si defunctus nec aſcendentes, nec deſcendentes, nec collaterales ſanguine junctos reliquit, ſuccedit conjux ſuperſtes ſive uxor, ſive maritus, excluſo fiſco. *L. un. ff.* & *L. un. C. unde vir & uxor.* In hac tamen materia potiſſimùm pacta dotalia, conſuetudines & ſtatuta attendi debent. 2. Si & omnes conſanguinei & ipſa uxor deficiat, nec defunctus vixerit in communitate quadam legitimè inſtitutâ, devolvuntur bona ejus ad fiſcum, hoc, ærarium vel Cameram Principis. *L. 1. & 4. C. de bon. vacant.* Peregrinorum ita mortuorum bona ſunt per Epiſcopum in pias cauſas eroganda. *Auth. omnes peregrini C. commun. de ſucceſſion.*

Q. 7. Qualiter ab inteſtato Clericis & Religioſis ſuccedatur? Reſp. 1. In bonis Clericorum patrimonialibus, induſtrialibus, parſimonialibus

ſuccedunt conſanguinei, computatione graduum etiam hic juxta Jus Civile factâ; his deficientibus, Eccleſia, cui præfuit Clericus; aut ſi non habuerit beneficium, fiſcus Epiſcopi. Engel *h. n. 21. & 22.* 2. In beneficialibus (qualia in dubio præſumuntur Clericorum bona) congruæ ſuſtentationi ſuperfluis de jure communi ſuccedit Eccleſia. *c. 1. & fin. de pecul. Cler. & c. 12. de teſt.* niſi vel ex indulto Pontificio, vel receptâ conſuetudine etiam in his bonis ex parte ſaltem conſanguinei ſuccedant, vel Jus ſpolii vigeat, quo tamen Epiſcopis ratione ſcandali parcè utendum monet Pichl. *h. n.* 18. 3. Novitiis ab inteſtato decedentibus monaſterium non ſuccedit. D. Kees ad *Inſt. h. t. n.* 16. Profeſſi bona, ſi ante profeſſionem ſuam nihil de iis diſpoſuit, nec Religio capax eſt ſucceſſionis, ad hæredes ab inteſtato aliàs ſucceſſuros devolvuntur; ſi autem eſt capax Religio, bona profeſſi quocunque titulo vel tempore acquiſita transeunt in monaſterium non quidem jure hæreditario propriè tali, ſed jure cujusdam acquiſitionis naturalis & acceſſoriæ perſonæ. Auth. *ingreſſi.* & Auth. *ſi qua mulier. C. de Ss. Eccleſ.* vid. Schmalzgr. *h. à n. 67.* ubi plura.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

Q. 1. *Quid ſit ſepultura & quid de loco ſepulturæ in genere dicendum? Reſp.* Ad 1. Sepultura pro loco, in quo cadavera ſepeliuntur, accepta,